

B. h. II 310.

h. 60, 15.

Hk  
2394

# DIET. HERM. KEMMERICHI, J.

SERENISS. SAX. DVCVM STIRP. ERNEST. CONSIL. AVL. FACVLT.  
IVRID. ET SCABIN. PRAESIDIS ORDINARIIS, CVRIAEC PRO-  
VINC. SAX. ASSESSORIS; IVRIS CÁNON. PROF. P.  
ORDINIS SVI H. T. PRO-DECANI,

## PROGRAMMA DE INSTITVTIS GERMANORVM AD CONSERVATIONEM FAMILIAE SPECTANTIBVS,

DISSERTATIONI INAVGVRALI  
NOBILISSIMI ATQVE CONSVLTISSIMI  
IVRIVM CANDIDATI,  
DOMINI  
GOTTLIEB ADOLPHI HENRICI  
HEYDENREICHII,

ILLVSTRIS REGIMINIS SAXO-VINARIENSIS ADVOCATI,

DE  
ALIENATIONE FIDEICOMMISSORVM  
FAMILIAE VEL OMNIBVS ETIAM DE  
EA CONSENTIENTIBVS ILLICITA,  
PROXIMA DIE XXIV. AVGUSTI  
PVBLICAE DISQVISITIONI SVBIICIENDAE  
PRAEMISSVM.

IENAE, LITTERIS CROEKERIANIS.



KYDZIA  
KETZIOT  
PA  
LIT



**J**am ROMANI, quam GERMANI, pro conservanda *Familia* laborarunt, ac varia hoc nomine instituta observarunt vel introduxerunt. ROMANI *Majorum* gloriae maxime studebant, atque adeo de memoria illorum, qui praeclare de Republica meriti erant, honoresque ac magistratus cum laude gesserant, ad posteros transmittenda valde solliciti erant. Quam ob rem *imagines* eorundem sancte in ædibus suis ad servabant, atque atria iisdem exornabant (a). GERMANI quidem *Majores* suos, præsertim rerum fortiter gestarum gloria fulgentes, vel magistratibus in bello aut pace egregie perfunctos, itidem magni faciebant, atque in horum numero & antiquitate præcipuam Nobilitatis suæ partem collocabant. Sed tamen simul *Bonorum* curam gerebant sedulam, atque ut hæc Familiae, pro

: ( 2

tuenda

---

(a) Quo pertinet illud POETAE:

Tota licet veteres exornant undique ceræ.

Atria: Nobilitas sola est atque unica virtus.

tuenda ejusdem dignitate, servarentur, nihil faciebant reliqui. Spectat hoc procul dubio institutum, quo MASCULORVM, in illustribus ac nobilibus familiis, maxime, in distributione bonorum gentiliorum, ratio habebatur, FOEMINAE, vero existentibus MASCULIS, a SVCCSSIONE IN FEUDA (b) non solum, sed & ALLODIA, excludebantur, nec nisi deficientibus MASCULIS demum succedebant (c): atque adeo a moribus ROMANORVM, quibus promiscua foeminarum æque ac masculorum successio obtinebat, apud GERMANOS

(b) Vnde pro regula hodie in *Iure Feudali Germanico* etiam ponitur, *Feuda Imperii Rom. Germ.* ordinarie esse masculina, fœminas vero ab eorundem successione exclusas.

Vid. SCHÜTZ Colleg. Iur. Publ. Vol. I. Disp. VI. tb. 27. lit. (b).

KNICHEN P. I. de Vest. Paft. Cap. 3. n. 9. seqq.

BESOLD. Lib. I. de Success. Reg. Diff. II. n. 13.

RHET. de Transmiss. Territ. Germ. Cap. III. n. 44. & Inst.

Iur. Publ. Lib. 3. Tit. I. §. 4.

FRANTZK. L. 3. Resolut. I. n. 140. seqq.

SPRENGER Font. Iur. Publ. Cap. II. §. 1.

ITTER. de Feud. Imp. Cap. XVI. §. 11.

(c) Sic FRANCI potissimum in *Lege Salica* Tit. LXII. §. 6. caverunt, ne in mulierem ulla portio hereditatis transeat. Quod Lex Ripuaria Tit. LVI. de allodiis clarius exprimit hoc modo: *Cum virilis sexus extiterit, fœmina in hereditatem aviaticam non succedat.* Idem ex formulis MARCVLFI constat. v. Lib. II. Form. XII. ubi referunt, tenere inter Francos consuetudinem, ut de terra paterna sorores cum fratribus portionem non habeant. Idem institutum & SAXONES in suis Legibus servarunt. Ita Lex Saxon. c. 39. *Pater aut Mater defuncti Filis non Filiae hereditatem reliquunt.* Et Sächs. Land-Recht Lib. I. art. 17. *Waters und Mutters, Schwestern oder Brüders, Erbe nimmt der Sohn und nicht die Tochter, es sei dann, daß da kein Sohn sei, so nimmt es die Tochter.*

MANOS recedebatur. Cujus rei ratio, præter bellicosa gentis instituta, atque servitia militaria vel auxiliaria, quibus præstandis foeminae impares minusque idoneæ censebantur, non ultima haud dubie fuit *Familiae conservatio*, cuius intererat, bona præsertim avita, quin & feuda, *integra* illis servare, qui splendorem *Familiae* sustinere debebant, i. e. Filiis (d). Cum non nisi in Filiis *Familiae* subsistant, & tanquam validissimis fulcris sustententur, in filiabus vero extinguantur; quippe quæ per nuptias in alienam transeunt *familiam* (e): unde si & filiæ partem e bonis avitis tollerent, atque novo marito in dotem afferrent, splendor *familiae*, vna cum imminutione bonorum sine, dubio immi-  
nueretur (f).

): ( 3

Subser-

(d) Diferte hanc rationem allegat III. Dn. HENR. COCCEIUS IN *Iuris Feudal Hypomnem*. Tit. II. §. 7. ubi de *Natura Feudi* scribit: *Formavit eam Illustrium ac Generosarum Familiarum ratio: ad eas enim & conservandas & devincendas pertinet, quod Feudum propria sua natura sit (1) masculinum, (2) perpetuum; eoque (3) in re immobili vel quæ pro tali habetur, constitutum.* Add. *Illustr. Dn. IO. MICH. LANGVTH. in Animadvers. Feud. ad COCCEII Hypomn. Tit. X. §. XI. n. 2.*

(e) Foemina enim finis paternæ & principium maritalis familie dicitur in l. 195. §. ult. π. de verb. signif.

(f) Egregie idem edidisset illustr. NIC. HIERON. GVNDLING. in Diff. cui titulus: *Errores Pragmaticorum, de Renunciatione Hereditatum Filiarum illustrium Cap. II. §. 2.* cuius verba hic legi merentur. *At longe alia, (puta, quam Plebejorum, de quibus spha praeced. i. dixerat, quod ad familie dignitatem & gloriam conservandam ita proni non sint) eorum, qui antiquae generis prosapia effloruere, conditio est. Hi enim & robur monarchie, & regalis potentia firmamentum semper sunt habiti: eorum societate stipati bella*

Subserviebat huic instituto aliud, nempe **R E N V N C I A T I O H E R E D I T A T I S a F I L I A B V S** Illustribus & Nobilibus facienda. Olim quidem hac non fuit opus, eo quod Filiæ ab Hereditate paterna, quamdiu Filii supererant, ipso iure exclusæ essent: unde antiquioribus temporibus Germania hujusmodi renunciations Filiarum ignoravit. At enim vero postquam **I V S R O M A N V M I V S T I N I A - N E V M**, juxta cum **I V R E C A N O N I C O P O N T I F I C I O**, in fora Germaniæ irrepit: non sine ratione Familiaæ Illustres atque Nobiles veritæ sunt, ne peregrina hæc jura, quæ omni modæ inter liberos æqualitati, in capienda hereditate servandæ, favebant, moribus juribusque patriis, splendori familiæ tuendo consulentibus, derogarent; atque hinc Filias, ut successioni in terras paternas renunciarent, obstrinxerunt (g). Quales **R E N V N C I A T I O N E S** adeo jam seculo XIII. & XIV. frequentari cooperunt, & adhuc hodie frequentantur: addita tamen plerumque **f o r m u l a**, regressum ad successio-  
nem

---

bella gesserunt Principes, victorias obtinuere Reges, viribus opibusque illorum adjuti, exteris formidabiles, & inter suos semper magnifici apparuere: eoque sine negotio intelligitur, quam ob rem rata sententia manserit, masculos debere fœminis preponi, a qua neque abscedere Nobilitas, neque ei adversari Imperatores poterant; siquidem ipsimet auctoritatem & maiestatem suam cuperent communire. Vix enim retinetur dignitas, nisi ampla familiarum patrimonia, & antiqua avitaque bona uno cumulo filiis, nepotibus ac posteris masculis reserventur.

(g) v. Dn. **G V N D L I N G**. *Diss. laud. Cap. II. & III. & Dn. **I O . L A Y R . F L E I S C H E R** *Inst. Iur. Feud. Cap. XIV. §. 19.**

nem in casum deficientium eorum, in quorum gratiam renunciatio facta erat, reservante (b).

Fortassis haud erravero, si in hunc censum quoque IUS PRIMOGENITVRAE, non in ELECTORVM tantum, sed & PRINCIPVM aliorum atque COMITVM Gentibus Serenissimis ac Illustrissimis plerisque usu receptum, iretulero. Cum enim pernicioſe Ducatum ac Principatum nec non Comitatuum *divisiones*, a Sec. XV. maxime, in Germania quoque, occasione jurium peregrinorum prædictorum in illis receptorum, ut videatur, invectæ, essent, atque per eas potentia & auctoritas Principum non parum debilitata vide-retur (i): animaduerso errore, successiones in Germaniæ Territoriis ad prudentiæ civilis regulas institutæ, atque Ius Primogenituræ, quod jam olim in iis obtinuerat, felici auspicio, quasi jure postliminii, instauratum ac variis modis stabili-tum (k) est. Quod institutum, uti generatim ad poten-

(b) Biß auf einen ledigen Anfall. v. GVNDLING. d. Diff. Cap. XIV. tot.

(i) Graviter hac de re pronunciat IO. SCHILTERVS. Utinam, inquit, moribus feudorum priscis fieriſſet & Alemanni & Saxones, certe illustres atque nobiles Familie non in hacce calamitates, quibus implicite sunt fere in extirabiliter, irruissent. Incrementum moris istius pernicioſi dividendi feuda dignitatum, Seculo XV. adscribendum puto, quo ipſo juris Romani uſum in Germania invaſiſſe conſtat.

(k) v. FRID. CAROL. VOIT. a SALTZBURG. in Diff. Iuris Publ. de Emolumenta Territoriorum imprimis Germaniae, ex Iure Primogeniturae defiſcenditibus §. 3. & ſeqq. ubi, Ius Primogeniturae ab omni fere aeo, & apud cultas quasque gentes fortifimū fulcrum & vinculum omnium regnorū & illustrium Familiarum habitum fuiffe, ediffirit.

potentiam Regnorum firmandam maxime accommodatum est, ita non exigua quoque emolumenta inde in Germaniae Territoria redundare, jam ab aliis observatum est (1). Præcipuum haud dubie

(1) Eodem fere Speculum Suev. digitum intendit in L. I. art. 20. S. 2. ibi: Man mag kein Fürstenthum mit Recht zweyen Männer geleyhen ic. Ihr Jedweder mag mit Recht nicht ein Fürst geheissen, noch geseyn &c. Ejusdem quoque generis rationes allegantur in Ordinatione IOHANNIS Principis Anhaltini de A. 1648. d. 29. Oct. qua in Domo Anhaltina Servetiana Ius Primogenitura introductum, apud BEGMANNVM in der Historie des Fürstenthums Anhalt P. IV. C. I. n. 4. p. 506. ibi: Als auch bey der Hochfürstl. Anhalt-Zerbster Linie in Erwegung gekommen, daß, bey künftiger Vermehrung der Hochfürstl. Nachkommen, eine Verminderung des Fürstl. Splendeurs entstehen würde, wenn Jeder absonderlich die Regierung führen wolte: Man sich auch erinnert, wie sich andere Durchl. Häuser durch das Primogeniturrecht guten theils in beharrlichen Flor erhalten, und zu noch grösseren Aufnahmen gediehen ic. Nec non in Testamento CHRISTIANI Sen. Ducis Saxo-Martisb. ap. LVNIG im Reichs-Archiv P. Spec. P. III. p. 218. Gestalt es denn klar und am Tage ist, welcher maßen unsere Länder nichtzureichen, daß ein Jedweder unserer freundlich geliebten vier Söhne eine eigene Regierung, oder nur einen Fürstl. Staat an Dienern, Beamten, und andern Nothwendigkeit führen, weniger unsers Fürstlichen Hauses Dignität, Respect, Hoheit und Splendor, zumahl da hinkünftig, wie zu vermuthen, allerseits mehr Fürstl. Erben erzeugt würden, in ihrem Wesen und Integrität verbleiben, oder es mit denselben, bey solchen vielfältigen Zerreiß- und Zergliederungen unserer Lande und Vielheit der in Land und Leute succedirenden Herren, als wodurch, gleich einer Ableitung grosser schiffreicher Flüsse in kleine verächtliche Bäche, nicht allein vornehme alte Häuser

an

bie est, quod amplitudo Territorii, ac potentia  
hoc pacto sarta tecta servetur, viresque illius, quæ  
per infinitas divisiones ad incitas tandem rediguntur,  
hoc pacto indivisæ & integræ suo Domino ma-  
neant, atque adeo splendor Familiaæ Illustris in suo  
vigore persistat (m). Facit quoque huc ius RE-  
TRACTVS, vi cuius proximo agnato jus compe-  
tit, bona avita vel hereditaria, extra familiam alie-  
nata revocandi, quippe quod eadem ratione ni-  
titur, ne scilicet splendor familiae, subtractis hu-  
jusmodi bonis, ad decus familiae pertinentibus,  
atque conservationi ejus dicatis, detrimenti quid  
capiat (n). Denique huc pertinent FIDEICOM-  
MISSA

an ihren Nahmen, Reputation und Kräften, augenscheinlich ge-  
schwächt, und herunter kommen, sowohl auch solcher Fürstlichen  
Häuser selbst, als auch des allgemeinen Wesens Schaden und  
Nachtheil, zerrüttet und getrennet, durch die verderbliche Assorti-  
rung Fürstl. Ansehens, gänzlichen erschöpft und ins Verderben  
gestürzet werden, in die Länge unmöglich würde Bestand haben  
können, um welcher Willen nicht allein heut zu tage fast im gan-  
zen Röm. Reiche E. N. das Recht der Erst. Geburth einge-  
führt &c.

(m) v. THEODOR. REINKING de Retraet - Consang. Quest.  
III. n. 10. sq. ubi, *jus retractus in bonis avitis, paternis & gen-*  
*tilitiis, vulgo Stammgütern, jus retractus locum habere, tradit.*

(n) Hac de causa, & ut bona in familia permaneant, & ipsa  
Nobilitas in suo statu & dignitate salva & illæsa conservetur,  
Ordo Equestris liber Suevia Franconia & ad tractum Rhenanum  
jus Retractus inter se constituit, idque postea Cesareis privilegiis  
confirmatum est, ut scribit PHIL. KNIPSCHILD de Fideicomiss.  
Cap. XI. n. 490.

MISSA FAMILIAE, sive Bona, quæ pro Familiarum Nobilium conservatione constituuntur, Germ. Stamm-Güther dicta. Sed de his non attinet plura dicere, cum hoc argumentum in Disputatione sua *Inaugurali* copiose & erudite edisseruerit *Nobilissimus & Consultissimus CANDIDATUS noster*

D O M I N V S

## GOTTLIEB ADOLPHVS HENRICVS HEYDENREICH,

De cujus persona vita & studiis ut publice constet, quantum sciri interest, subjungam vitæ ipsius curriculum, ab ipsomet sequentem in modum descriptum.

In hanc lucem per divinam gratiam editus sum Vinaria die 31. Julii a. 1713. Parente jam beato Domino LUDOVICO HENRICO HEYDENREICH Serenisimae Domus Saxo-Vinariensis Consiliario Intimo, Vice-Cancellario ac Aerarii Publici Directore, Matre vero per Dei gratiam adhuc superstite RAHELE ELISABETHA MEVRERIA: Illinc avum paternum IACOBVM HENRICVM HEYDENREICH Praesidem quondam, sub ERNESTI PII regimine felici, Consistorii Supremi & Consiliarium Aulicum Gothanum, hinc maternum CHRISTIANVM FRIDERICVM MEVRERVVM Haereditarium in Lützen-Sommern, Trebnitz & Lauterbach, Praefectum quondam Ele-

Electoralem Saxonicum Primarium in Circulo Thuringi-  
 co, Creyß-Amtmann, ultra 36 annos meritissimum, nactus.  
 Per quos magni nominis Theologum illum D. AEGIDIVM  
 HVNNIUM Abavum, IOHANNEM SCHNEIDEWINVM  
 non insimae notae JCTum Tritavum, nec non SPRINGS-  
 FELDIOS LVDOLFOSQVE inter paternos, inter ma-  
 terios vero praesertim NICOLAVM PFRETSCHNERVM,  
 Hereditarium in Troshenreuth, Delschnitz & Trebnitz, Comitem  
 Palatinum Caesareum, IOHANNI GEORGIO II. Electo-  
 ri Saxonie tunc regenti ab aulicis, finium regundorum  
 & negotiorum in Camera Spirensi gerundorum Consiliis,  
 inter majores meos connumerare mihi licet. Cum itaque  
 Fonte, post nativitatem, S. Baptismatis inunctus fui,  
 Parentibus carissimis nil magis necessarium vixum est,  
 quam ut, simulac tenera permitteret aetas, tam verae pie-  
 tatis principiis quam literarum rudimentis imbuerer, quam  
 in rem, vix quadriennio effluxo, me domesticae tradide-  
 runt informationi Viri Clarissimi Georgii Friderici Zeidleri,  
 jam apud Coethenses Diaconi meritissimi, qui post annum  
 & quod excedit, Coethenam evocatus me reliquit privatae  
 itidem informationi solidissima pariter ac fidelissimae  
 Viri nec minus Clarissimi Johannis Friderici Mülleri, jam  
 Verbi divini Buttstadiae Praeconis reverendi, cuius inde-  
 fessa & jucunda pariter institutione a 6to inde aetatis an-  
 no ad duodecimum i. e. a. 1725. maxima cum utilitate  
 iuxta ac delectatione perfaci mihi obtigit, adeo ut ipsi  
 multa me debere ingenue profitear. Successit in ejus lo-  
 cum Joh. Joach. Rezmannus, Gothanus; quo post annum ad  
 suos redeunte, Viri maxime Reverendi Dn. M. Johannis Chri-  
 stophori Coleri, cuius nomen inter eruditos post funera  
 etiam celebratur, Vinariae tunc ad Aedem Divi Jacobi  
 Pastoris, postea Concionatoris ibidem aulici, intimiore  
 & instructione & conversatione frui licuit; qui aliis quo-  
 ):( 2  
 tidie

tidie negotiis sepositis, per triennium magna industria de  
 ingenio meo humanioribus iisque elegantioribus studiis  
 nec non sanioribus Philosophiac Principiis imbuendo al-  
 laboravit, eoque studia mea perduxit, ut praegustu Ju-  
 ris naturalis a Fratre meo D. Christiano Augusto Henrico Hey-  
 denreich, Advocato qui Dresdae jam moratur Electora-  
 li Saxonico ad ductum Compendii Pufendorffiani per an-  
 num suppeditato. Circa Paschatos festum annum 1729 al-  
 lam hanc Salanam petere, & Studia Academica, peri-  
 torum Consilio ausplicari potuerint. Hic Summe Reveren-  
 dum & Magnificum Virum Dn. D. Johannem Jacobum Syrbium,  
 Philosophiam primam & rationalem explicantem, nec non  
 Virum Excellentissimum atque Experientissimum Dn. D.  
 Georgium Erhardum Hambergerum, Consiliarium aulicum, Cur-  
 sum Mathematicum ad ductum Wolffianum & Physicam  
 Experimentalem secundum propria Praecepta praelegen-  
 tem non sine magna voluptate binis vicibus audivi. In  
 Juridicis porro Dn. D. Casparis Achatii Beckii, Antecessoris  
 hujus Academiae quandam meritissimi ad Pufendorffianum Juris naturae Compendium Lectionibus nec non  
 ejusdem ad Struvii Jurisprudentiam Romano-Germani-  
 eam Forensem praelectionibus, itemque Explicationi  
 Compendii Feudalis Stryckiani interesse mihi datum est,  
 ex cuius singulari svavitate, atque comitate, cum solidi-  
 tate conjuncta, haud exiguum percepi fructum. Inter  
 haec Praenobilissimi atque Consultissimi Dn. D. Johannis  
 Wilhelmi Dietmari, Consiliarii Ducalis Saxo-Meinungens. ad  
 Instituta Justiniani erudite differentis instructione facun-  
 disima bina vice fruitus, ad Pandectas Virum Nobilissi-  
 um & Consultissimum Dn. D. Johannem Hartmannum, bi-  
 nis item vicibus audivi differentem, a quo pro fidelitate  
 qua pollet, non verba, sed res, non leges tantum & ju-  
 ra sed legum etiam juriumque rationes magno studiorum  
     meo-

meorum incremento me audiisse publice laetor. Cujus etiam Praesidio fretus Theses controversias ex Materia servitutum & usus fructus depromptas in Cathedra JCTorum paucis ante abitum diebus adversus Commilitones tuitus sum. Hic igitur binos commoratus annos Festo Paschatos anni 1731. abitum paravi & Plisenses invisi Musas. Ibi magna studiorum utilitate Virum Magnificum atque Excellentissimum Dn. D. Johannem Florentem Riwinum, non in publicis solum ad Menckenii Pandectaris Lectionibus audivi, sed & privatum in Collegio Examinatorio-relatorio-practico ipsum magna cura studiosorum animos applicationi Juris ad facta, quae altera est & potissima Jurisprudentiae pars, asseverare solere ipsem et meo sum expertus exemplo. Quo moderante etiam ut cathedram ibidem Juridicam ascendere mihi quasi gloriae duxi & sub ejus Praesidio in circulari quodam ordine Librum XXXIV. Pandectarum ad Schoepferum a Commilitonum objectionibus vindicavi. Praeterea Viri Praenobilissimi Consultissimique Dn. D. Georgii Christiani Gebaueri, qui jam Goettingae agit, tam publicis ad Jus Feudale Schiltero duce praelectionibus binis vicibus, quam privatis ejusdem ad Historiam Juris Praeceptis non cum summa solum jucunditate verum etiam utilitate interfui. Hinc Juris Publici praecepta ex ore Doctissimo Domini D. Johannis Jacobi Mascovii, Consiliarii Aulici Regii excepit, in Practicis Nobilissimum Consultissimumque Dn. D. Johannem Gotthofredum Bauerum, Advocatum celeberrimum, ad Gribneri ductum, Principia Processus exacte tradenter, in Jure Canonico tandem Virum Praenobilissimum Amplissimumque Dn. D. Augustum Fridericum Mullerum, P. P. O. addi, cuius principiis adductuni Schilteri imbutis Mense Augusto anni 1732. domini redux, mense Februario 1733. ab Inlustri Regimine Saxo-Vinariensi,

J: J: 3

prae-

praevio Examine confveto, Advocati Curiae Axiomate atque licentia tam coram supremis quam inferioribus Ditionis Saxo-Vinariensis Judiciis causas Clientium libere orandi, gratiose sum ornatus. Sequenti itaque tempore negotia mibi demandata gerens, ut eo melius institutum procederet, exemplo Beati Parentis & quatuor Fratrum, qui in capessendo gradu hic in Salana me praecesserunt, congruum ratus sum, ut Illustris Jurisconsultorum Ordinis auctoritate Gradu in utroque Jure condecorarer.

Cum igitur honesta sua desideria hoc nomine Ordini nostro aperuisset, atque ut via ipsi ad honori Gradum jam dictum aperiretur, decenter petiisset: non dubitavit Ordo noster petitis ipsius annuere, atque ad Examina consueta primum, his autem egregie & cum laude ipsius peractis, ad ipsam Disputationem Inauguralem eum admittere.

Quam cum sub Praesidio Viri *Consultissimi* atque *Excellentissimi*, Domini, IO. FRIDERICI HERTELII, Jurisconsulti & Antecessoris in hac Academia Celeberrimi, de

**ALIENATIONE FIDEICOMMISSORVM FAMILIAE, VEL OMNIBVS  
ETIAM DE EA CONSENTIENTIBVS, ILLICITA.**

Proxima Die XXIV. Augusti publico judicio subjecturus sit: non possum non MAGNIFICVM ACADEMIAE PRORECTORREM, ILLISTRIS-

STRIMMOS COMITES, PATRES ACADEMIAE  
CONSCRIPTOS & PROFESSORES, ceterosque  
Studiorum nostrorum Fautores, nec non Generosa  
ac Nobilissima Studiose Juventutis Coronam, ut hunc  
actum solennem honorifica sua præsentia conde-  
corare atque solemniorem reddere velint, & meo  
& Ordinis mei nomine, qua par est observantia  
& humanitate, etiam atque etiam rogare.

P. P. Jenæ d. xviii. Aug.

A. MDCC XXXVII.




8877k 2294

HALLENSAAL  
BIBLIOTHEK  
X3535028




mc

B.I.G.



Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue



T. HERM. KEMMERICHL, J.

MISS. SAX. DVCVM STIRP. ERNEST. CONSIL. AVL. FACVLT.  
RID. ET SCABIN. PRAESIDIS ORDINARI, CVRIA PRO-  
VINC. SAX. ASSESSORIS; IVRIS CÀNON. PROF. P.  
ORDINIS SVI H. T. PRO- DECANI,

PROGRAMMA  
DE  
STITVTIS GERMANORVM  
AD  
ONSERVATIONEM  
FAMILIAE  
SPECTANTIBVS,

DISSERTATIONI INAVGVRALI  
OBILISSLMI ATQVE CONSVLTISSIMI  
IVRIVM CANDIDATI,

DOMINI  
ETLIEB ADOLPHI HENRICI  
HEYDENREICHII,  
STRIS REGIMINIS SAXO-VINARIENSIS ADVOCATI,  
DE  
ENATIONE FIDEICOMMISSORVM  
MILIAE VEL OMNIBVS ETIAM DE  
A CONSENTIENTIBVS ILLICITA,

PROXIMA DIE XXIV. AVGUSTI  
PVBLICA DISQVISITIONI SVBIIGIENDAE  
PRAEMISSVM.

LENÆ, LITTERIS CROEKERIANIS.

Hk  
2394

BIBLIOTHECA  
PUNICARUM